



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus, Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus, apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ excom. contentæ in c. Ex litteris 10. de sponsal. & matrim. Form. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

cubinæ Clericorum, quæ possunt, etiam excommunicari, Pignatell. de consuli. 139. n. 118. & 119. tom. 9. Et sive sint solutæ, sive conjugatæ dummodo, ut loquitur Concilium, cum adulteris, sed Concubinariis publicè vivant.

¹⁴ Secundò notandum, quod si Mulier Concubina sit conjugata, & meretricetur inscio Marito, erit monenda in secreto, at nihil in actis est scribendum, nè Mari-
to, seu Consanguineis detur occasio illam occidendi, & ideo a punitione abstinen-
dum, ut monet Raynald. loco citato n. 28.

¹⁵ Tertio notandum, quod si Concubini-
narius sit inter Magnates, vel loci Guber-
nator, erit magna circumspectione procedendum, & à rigore juris aliquan-
tum recedendum, & ita prudenter, ut nec illi monitio pastoralis desit, nec de
læsa ipsius extimatione conqueri possit;
pellicem tamèn, si est publica, Judex mo-
neat juxta c. præcipua 11. quest. 3. ut con-
sultit Pignatell. d. consuli. 138. n. 115. & 116.

¹⁶ Quarto notandum, quod si de hoc
crimine accusetur aliquis Regularis, qui
debet intra Claustra, poterit ordinarius
inquirere, & Processum informativum
ad suum Superiorum remittere, cum præ-
fixione termini, ut illum puniat ad for-
mam Concilii cap. 14. sess. 25. de regulari.
Si vero talis Regularis extra Claustra
degeret, posset ordinarius tanquam Se-
dis Apostolicæ Delegatus ipse eum punire
juxta aliud Decretum ejusdem Concilii
cap. 3. sess. 6. de reform: Ciarlin. in terminis
contr. 50. nu. 8. & 9. At ego consulerem,
quod etiam in hoc secundo casu ordinarius
uti debeat prudentia, & non juris rigore,
nè Ordinum Regularium bonum nomen,
& fama luxuriæ cæno fædetur: & reum

à loco delicti removeri facere, & proce-
sum supra Superiori remittere pro punitio-
ne juxta Regularium Statuta: longè enim
utilius est istis bonam famam servare,
quàm delictum punire: quia plus nocet
exemplum delinquendi, quod ex delicto re-
velato per punitionem præbetur, quàm
condonatio delicti secreti, ut monet Na-
var. commentar. tom. 3. in rubric. de judic.
num. 56.

¹⁷ Quinto notandum, quod si Concubi-
narius monitus ad dimittendam Concu-
binam ante, vel post sententiam decla-
ratoriam appellaret, ejus appellatio non
debet admitti a Metropolitano cum in-
hibitione, ut pluries Sacr. Congr. Con-
cili declaravit, cuius Decreta refert
Pignatell. in sèpè citata consuli. 139. num.
90. & numer. 258. tom. 9. ideoque appelle-
ndo non potest penæ executionem
suspendere; sed ordinarius nullo attento
impedimento exequitur suam senten-
tiā.

De Excommunicatione ferenda contenta
in cap. ex litteris 10. de
Sponsal. & matr.

Sæpe contingit, quod contractis Spon-
salibus de futuro, ex aliqua superveniente
causa etiam frivola Sponsus, vel Spon-
sa ab illis, altero ex eis invito, recede-
re molitur. Unde si ex parte ejus, qui
matrimonium vult complere, requiratur
ordinarius judicialiter, ut renuentem ju-
ris remedii ad illud contrahendum com-
pellat, constito de legitimis sponsalibus,
& quod nulla juridica causa recedendi
intercedat, poterit ad sequentem decla-
ratoriam devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A XXIX.

Attentis comparatione, & instantia judiciali Semproniæ cor. nobis facta,
de & super executione Sponsalium de futuro sub juramento inter ipsam in-
stantem, & Cajum contractorum: visis juribus exhibitis, ac monitione sub pa-
na excommunicationis ad contrahendum matrimonium contra dictum Ca-
jum extrahere renuentem exequuta, & auditis excusationibus per eum dedu-

H z etis,

Etis, dicimus, & declaramus, esse locum exequutioni Sponsalium, & eundem Cajum teneri, & obligatum esse ad contrahendum matrimonium cum dicta Sempronia, & ad illud cogendum Ecclesiastica Censura; prout nos adhunc effectum excommunicamus & excommunicatum publice denunciari volumus, donec juris jurandi religione adimpleat, dictam Semproniam ducat in uxorem, & exeat à peccato: cedulones decernimus, & publicari mandamus omni &c.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

Loco ✡ Sigilli.

N. Aetuarius.

S U M M A R I U M.

- | | |
|--|--|
| <p>1 Promittens Sponsalia, cogitur censuris contrahere matrimonium, etiam si promiserit sine juramento, & n. 6. 7. 8.</p> <p>2 Qui promisit Sponsalia, & matrimonium contrahere recusat, est monendum cum praefinitione termini, & datur formula monitionis n. 3.</p> <p>4 Cause justæ recedendi à sponsalibus quæ sunt, ostenditur.</p> <p>5 Impedimentum consanguinitatis in 4. & 5 gradu, non indiget dispensatione.</p> <p>6 Sponsus, qui substituit censuras, & noluit matrimonium contrahere, a tenetur Sponsam dotare ostenditur.</p> | <p>10 A sententia declaratoria, qua quis censura compellitur matrimonium contrahere, datur appellatio ad utrumque effectum.</p> <p>11 Excommunicationis finis, est, ut reus exeat à peccato: qui enim alio contorto fine moveretur ad hanc penam, inferendam gravissime peccat.</p> <p>12 Juxta, qui excommunicat juris ordine non servato, & per imperitiam est ab officio removendus, & extra ordinem puniendus.</p> <p>13 Episcopi fulminantes censuras per Sordes, & ut inde lucrum faciant sunt a regimine removendi, quia imminet periculum destructionis.</p> |
|--|--|

Denunciationis

F O R M U L A XXX.

Hic auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione Cajus ex eo, quia contracti per eum Sponsalibus de futuro juramento vallatis cum Sempronia, nulla interveniente rationabili causa recedendi, & per nos ad instantiam dictæ Semproniæ monitus, juris jurandi religione neglecta, promissa adimplere, & matrimonium contrahere renuit. Ut igitur ab omnibus evitetur, præsentes jussimus publicari, & anathema erit, donec exeat à peccato, & Semproniam in Uxorem ducat. Datum &c.

N. Episcopus, sive Vic. Gen. N.

Loco ✡ Sigilli.

N. Aetuarius.

Con-